

Haec methodus, primum ab Ohmio in usum experimentorum conversa et diligentissime descripta (Schweigg. Ann. XLVI. 157. LXIV. 50.), ejusmodi est, ut, si instrumentum suppetat accuratum, observatorque sit diligens, et ipsa sit maxime commendanda, nec dubium, quin multum praestet omnibus hucusque memoratis methodis vel facilitate vel severitate mensurae, excepta forsitan Nervandri methodo, de qua judicium certum ferre non jam licet. Sed eo ipso mihi cedere videtur methodo oscillationis post describendae, quod probitas mensurae per eam peragendae non minus a diligentia artificis, qui instrumentum confecit, quam observatoris, qui eo utitur, dependet; et quamquam id quidem ei commune sit cum plurimis in physice obvenientibus mensurae modis et propter summam dexteritatem eorum, quibus physici instrumenta conficienda mandare solent, minoris forsitan momenti esse videatur, tamen ceteris paribus id mensurae genus praefereendum esse videtur, in quo errorum fontes per se sint minus numerosi faciliusque per ipsius observatoris sollertiam vitandi.

Ceterum etiam minus aptum est ad minima vestigia vis galvanicae persequenda, cum in methodo oscillationum filum tenuissimum sericeum, vix sensibili torsione resistens, acum retineat, in methodo torsionis autem torsio declinationi resistens ad mensuram ipsam requiratur.

Contra etiam suas praerogativas habet methodus torsionis. Nam primo mensura sola inspectione graduum, quos index torsionis emensus est, capitur, nec ullo calculo ad eam derivandam opus, quae res saltem ad commoditatem valet, quamquam, cum etiam in methodo oscillationum calculus sit simplicissimus, nec desidiae physici sit servandum, hoc non multi facerem. Majoris momenti illud videtur, quod per methodum torsionis via exstat, vim galvanicam primo juncturae momento metiendi, antequam decrementum spontaneum ei aliquid detraxerit, quod ad discutiendas plures galvanismi leges plane necessarium. Illud decrementum enim saepe tam cito procedit, ut, mensura nisi citius etiam peracta fuerit, non primam et integram sed jam